



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

16 Purgatio canonica, etiam ab ignobilibus est recipienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

de fuga suspectus, tunc omnibus citationibus omiſſis debet prius personaliter capi, & carceri, Simanc. tit. 44. num. 12. & Pegna. comment. 17. in 3. par. direct. num. 73. & ibidem, comment. 3. num. 131.

13 Gravitas criminis hæresis consideratur secundum qualitatem informationum, & errorem in intellectu, ac pertinaciam inquisiti: & proprie hæresis est circa ea, quæ sunt fidei, vel directe, & principaliter, ut sunt articuli: vel secundario, ut sunt dogmata quæ opponuntur dogmatibus fidei, S. Tho. post. August. in 2. 2. quæst. 11. art. 2. & 24. quæst. 1. cap. 1. & negantes articulos fidei, vel dogmata contraria tenentes, sunt suspecti de violenta.

14 Suspicionum autem species hoc casu sunt tres: aut quis est suspectus de levi, aut de vehementi, vel de maxima, seu violenta, Direct. Inquisit. par. 2. quæst. 55. num. 8. Levis suspicio ea est, quæ provenit ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur conjectura, qua concludi potest, non quidem frequenter, sed raro, seu casu, quod talia faciens, vel dicens hæreticus sit: quod deducitur levi consequentia contra frequenter pejerantem, vel blasphemantem, quasi non bene credat. arg. text. in cap. accusatus, in princip. de hæret. in 6. & Pegna. Direct. Inquisit. com. 80.

15 In levi suspicione maxime attendenda est qualitas personarum, quoniam ex levibus suspicionibus probabilibus adversus viles, & improbos procedi potest, ut intelligatur, quid sentiant de fide: sed contra probos, & honestos non ita, de facili procedi debet, ut admonet Simanc. de cath. institut. tit. 50. numer. 28. & seq. quem sequitur Pegna. in Direct. Inquisit.

part. 2. dict. comment. 80. ver. & ubi quis. Casu autem, quo videatur contra probos, honestos, & nobiles procedendum, & sint de levi suspecti, ad abjurandum de levi non sunt condemnandi: sed purgatio canonica illis est injungenda, ut cap. inter sollicitudines. cap. cum dilectus c. de testibus. & tot. tit. de purg. can. & Eym. in Direct. Inquisit. quæst. 46. num. 9.

16 Quam purgationem etiam ab ignobilibus, honestis tamen personis, & personis vicinis, & honestas offerentibus puto esse recipiendam: cum hoc remedio purgationis nocens infamia, innocentia canonicè detecta, deleatur. Host. in sum. de purgat. canon. numer. 1 & Diaz. in pract. crimin. cap. mihi, 150. incipien. in prisca, num. 7. Pro levi tamen suspicione contra personas graves non ita de facili est procedendum, ut post Simanc. de cath. instit. tit. 50. numer. 28. & seq. admonet. Pegna. super Direct. Inquisit. par. 2. comment. 80. ver. quantum ad hunc.

17 Dicitur autem canonica purgatio, quæ regulis ecclesiastici juris est contentanea, & est ostensio innocentiae de crimine objecto. Pegna in comment. 14. super Direct. Inquisit. par. 2. quæ est duplex. una per iurandum, & altera per venerabilis sacramenti Eucharistiæ assumptionem, ut per Mart. del Rio. de mal. par. 1. lib. 4. c. 4. q. 3. in princip. quæ per iurandum fit pluribus de causis, etiam circa crimen hæresis, aut illius suspicionem.

18 Primum, pro purgatione suspicionis hæresis comparet personaliter ipse purgandus, cum suis computgatoribus, & ponens manus super librum Evangeliorum genibus flexis sic dicit. Ego juro super ista